

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS  
LIBER VIGESIMUS QUINTUS  
*DE AQUÆ ROTUNDITATE.*

Docent, et Geographi, et Astronomi, et cum eis philosophi terram et aquam, unum conficere globum. Et præter hoc, aquam per se, sui que natura esse rotundam. Sicuti et terram. Nam si totum ex utrisque constans, rotundum est, et partes, qua altera ab altera segregantur, rotunditatem eandem habere, est necesse. Argumentum hoc, quamvis firmum non satis videatur, quia tota fere omnia alterius cernamus figuræ a partibus, et partes a toto, ut et in nostro, et in reliquis corporibus omnibus, et ipsius etiam terræ: attamen, quibus aliis rationibus id probent, expendamus. Prius ergo aquam per se positam, dein terram, mox utramque simul iunctas contemplemur. Plinius igitur, non aliud in rerum natura aspectui manifestius putavit esse, quam hoc ipsum, aquam esse rotundam. Aspectui tamen non satis confisus, argumenta ad id comprobandum adhibet. Ex Aristotele primum aquæ guttas affert, et suspensas, et pulveri, et frondium lanugini illatas, in se parvis conglobantur ait orbibus, et absoluta rotunditate cernuntur. Experimentum hoc, præterquam quod falsum est, ridiculum etiam est. Quid enim guttulæ ad Oceani, ad lacuum, ad fluminum rotunditatem fidei afferant? Sed et falsum est, eas absoluta rotunditate cerni. Nam parte, qua vel pendent, vel pulveri, vel frondibus insident, planæ sunt, et non rotundæ. Et gutta eadem, si in rem humectam, aut aquam cadat, non conglobatur. Sed vel diffunditur, vel in bullam efformatur, quæ tota, tangente humorem parte, plana remanet. Quæ extat, pars rotunda est. Sed et in ære imbrium guttæ, dum cadunt fiunt rotundæ. Sed etiam non rotundæ fiunt. Quam rem facit manifestam, grando, que et rotundis guttis, et non rotundis, sed variarum figurarum devehitur: et est tamen ex imbrium guttulis concreta. Quæ vero absoluta visuntur rotunditate, fugæ ratione in eam cœunt. Quoniam dum in alieno sunt elemento, ab eo refugientes, in se cœunt, et a se salutem quærunt, partibus in unum coactis, et quam maxime fieri possit, ut conserventur, unitis. Virtus enim unita, fortior est dispersa. Secundum vero affert, quod in poculis repletis, media maxime tument. Quod tamen facilius ratione, quam visu deprehendi ait. Id vero aspectui, uti profitebatur, non est manifestum, fatente ipso. Neque si asserat, verum esse deprehendetur. Non enim media tument, sed quæ labra poculi circum circa tangunt. Quæ ut plurimum sicca sunt; eam siccitatem, aquæ refugit tantis per humiditas. Quæsi humida fient, quod eminere visebatur effluet illico. Quod vero hic verbis subdit. “Mirum in poculis repletis, addito humore minimo circumfluere, quod supersit, et effluere. Contra evenire, ponderibus additis ad vicenos sæpe denarios.”

Cur id fiat ipsemet docet. Quia scilicet.

“Intus recepta humorem in verticem attollunt. At cumulo eminente, infusa dilabuntur.”

Sed hæc ad rotunditatem aquæ nihil faciunt prorsus, et si quid faciant, ad aquæ illius faciunt. Ad aquarum vero universitatem comparata, ridicula, vanaque evadunt. Et quamvis particulæ hæ, sint cum tota aqua homogeneæ, atque ob id sint, cum tota, naturæ eiusdem, multis tamen rebus aliis, et a maiore, et a tota aqua differunt. Nam nec pondera sustineat, nec ullo cientur motu. Quem si ineant, illico effluent, et difluent. Nec magna aqua, aut in pulvere, aut in Soliis, aut in pelui intumescet, aut pendens rotundabitur. Nec idem centrum, aut hæ, aut illæ, cum aquæ universitate habent. Itaque ineptiæ sunt hæ, pueriles satis. Ad maiora accedamus quæ his verbis subiungit Plinius idem.

“Causam quærentes, propter quam e navibus terra non cernatur, e navium malis conspicua? Ac procul recedente navigio, si quid quod fulgeat, religetur in mali cacumine, paulatim descendere videatur, et postremo occultetur?”

Hoc sane validissimum, hac de re scribentibus omnibus, visum est semper argumentum, e clarissimo ductum experimento; quod Geographi usurparunt omnes ut